HIPPOCRATES GALENUS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

DIÆTÆ TENUIS SALUBRITATE,

Vom Nutzen einer geringen Kost;

QUAM AUSPICE DEO PROPITIO

Auctoritate Gratiosæ Facult. Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

MICHAELE ALBERTI,

Sacr. Maj. Reg. Boruss. Aul. & Consist. Magd. Consiliario, Med. & Philos. Nat. Prof. Publ. Ord. &c.

Decano h. t. Spectatissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. consuetis A. 1744. d. Octobr.

Publicæ Eruditorum Ventilationi subjiciet

Respondens

LEONHARDUS GOTTLIEB LEUTHOLF,

Norda - Frisius.

DIOSCORIDES PARACELSUS

Halæ Magdeb: typis Joh. Christ. Hendelii Acad. Typograph.



PROOEMIUM.



Nter alia salutaria præcepta, quæ HIPPOCR. pro sanitate conservanda commendavit, illud est, quod in *Lib. VI. Epidem. Sect. 4. text. 41.* continetur: *exercitatio sanitatis est vesci citra saturitatem, non refugere laborem:* quod idem est ac ratione quantitatis & mensuræ mediocriter aut moderate edere, attamen simul convenienter laborare: hunc textum aliquatenus illustrat aliud assertum in *Lib. I. de Diæta ∫. 2. text. 1. sq. Contrarias inter se vires habent cibi & labores. Verum inter se mixti conferunt ad sanitatem: labores enim ea, quæ insunt, consumere solent, cibi autem & potus, ea quæ evacuata sunt, explent.* Quare edere non debet, qui laborare recusat: huc pertinet CELSI testimonium *Lib. 3. ∫. 4. optimum medicamentum est cibus opportune datus.* Et hoc sane fuit arcanum priscorum medicorum diæteticis

mediis non ſolum præſentem ſanitatem conſervare, ſed & amiſſam reparare & confirmare: ob id ARNALDUS in *parabolis c. 2. n. 4.* elocutus eſt: *quando ſanitas alimentis procuratur, penitus eſt abhorrendus uſus medicamentorum.* Quam multum referat & vitæ atque ſanitati conducat congruam Diætam ordinare, præcurrente HIPPOCRATE multi antiquorum teſtati fuerant; ideo etiam HIPPOC. *de vict. in acut. ſ. 4. text. 1.* conqueritur: *neque veteres quicquam memorabile de victus ratione conſcripſerunt, & quanquam magna hæc res ſit, eam amiſerunt.* Salubre hoc præceptum, naturæ apprime conveniens, multis rationibus, exemplis & ſuffragiis probari poteſt; huc imprimis pertinet FERNELII effatum *Lib. I. pathol. c. 14. perniciosa*, inquit, *admodum ſentina eſt abdomen inſaturabile, omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons atque origo. Intemperantia eſt medicorum nutrix: nam cibus moderatus Spiritus nativum calorem corporisque ſubſtantiam tuetur & reficit, facultates omnes, earumque functiones corroborat, coctionem alimenti, diſtributionem, humorum æqualitatem, & excrementorum propulſionem, motus denique ſenſus mentisque vires integras incolumesque conferunt.* Plurima fere ſanitatis detrimenta ab incongrua proveniunt diæta: quamprimum enim homines luxuriæ ſe dicaverant, ab eo tempore magis morborum numerus adauctus & fragilitas corporis humani promota & accelerata fuit; ab unica hac cauſa multa & gravia oriuntur incommoda: nec tamen hoc loco in tam amplum campum ingredi occaſio permittit, dum quoad Diætam multa vitia re-

ſpectu

ſpectu quantitatis, qualitatis, modi, ordinis, temporis &c. committi ſolent: quare SENECA in *Ep. 95.* ait: *innumerabiles eſſe morbos miraris! Coquos numera?* ob id diæta luxurioſa cito jugulat homines, & luxus ciborum aulicus utplurimum graviſſimorum morborum cauſa exiſtit: ita nervoſe exclamat PAULLINI *Cent. I. obſ. 85. p. 108. ſq. Vah! quam bella animalcula naſcuntur ex ingluvie. Vade modo in aulas Principum, & videbis integrum noſocomium, cachecticis, hydropicis, arthriticis, nephriticis & ejusmodi tumuli Candidatis repletum, ob ſolam intemperantiam & ſtultum ſimplicitatis faſtidium, tantis cruciatibus plexis, a quibus tenuioris fortunæ homunculi, queis paternum in tenui menſa ſplendet ſalinum, & quibus Deus parca, quod ſatis eſt, dedit manu perpetuo, & tamen plerumque ſunt immunes:* ideo illi, qui præ avaritia genium ſuum defraudant, inter alias cauſas longævitatem ſuam etiam hiſce tribuere poſſunt, quod juxta PYTHAGORÆ monitum nunquam ſaturati a menſa diſcedant, cœteroquin etiam viliſſimo fruantur victu: de Eſſenis refert JOSEPHUS *de B. I. Lib. 2. c. 7.* quod ob tenuem & ſimplicem victum longiorem vitæ tractum aſſecuti fuerint. Adeo ſeductus guloſus & immoderatus eſt appetitus humanus, ut opipara, ſapida, alte delectantia, ſucculenta, ſaginata, pinguia ſimiliaque deſideret, inde vero innumera ſibi provocet detrimenta; quare BARTHOLINUS *de ſangv. vetit. p. 53.* diſſerit: *Deus hominum conditor cibum & potum pro incolumitate, non deliciis largitus eſt; cujus hoc dedit indicium, quod parvo temporis ſpatio voluptas eduliorum ſentiatur,*

 brevis-

brevissimo scilicet inter deglutiendum. Communi itaque suffragio, docente imo jubente natura, simplicitas in Diæta probatur: varietas vicissim, multiplex mistcela aut confusio & reliquus gulosus splendor vires naturæ debilitat & sanitatem labefactat. Quare carnium plane esum & usum multi non admodum salubrem æstimauerant: hinc DIOGENES *Cynicus interrogatus, quare athletæ fere sine sensu & mente essent, respondit: quia ex suillis & bovillis carnibus constant: acute ad stuporem animalium alludens, dixit* LIPSIUS *in Senecæ Ep. 15. qui testatus fuit, quod animi subtilitas ciborum copia impediatur.* Si non plurima, magna tamen hominum pars mortem in olla reperit: ideo non pauci hominum longævitatem ante & post diluvium ex parte sobrietati, temperantiæ, simplicitati & lenitati tribuerunt; quamvis BURNETIUS *in Histor. tell. Sacr. L. 2. c. 2. p. 88.* afferat, quod *frustra* in explicanda longævitate antediluviana *recurratur ad diætam sobriam, tenuem & excarnem:* quo plus enim appetitui & gulæ luxuriei homines operam dederunt, eo magis vitæ & sanitati præjudicia accumularunt, hinc CLEMENS ALEXANDRINUS *Lib. 2 Pædog. c. 1.* inquit: *ex cibis ii sunt aptissimi, qui sunt frugaliores & viliores: ii autem qui ad luxum mensarum propensi sunt, suos sibi morbos enutriunt.* Eo tempore, quo victus tenuis atque simplex usu receptus fuerat, homines firma, durabili & longiori sanitate fruebantur: & vice versa, hinc MUSONIUS BABYLONIUS ap. STOBÆUM *serm. 18.* conqueritur: *majus studium coquis, quam agricolis impenditur: aliqui tota prædia in conviviorum appa-*

opparatu consumunt: an non hoc miserrimum est! præsertim cum nihil utilitatis corpori accedat ex tam sumptuosa dapium structura; omnino enim contraria ratione, qui communissimis cibis utuntur, robustissimi sunt. Quanta vis & nutriendi & roborandi pani inexistat, universa testatur experientia, qui sicut cibus communis, popularis atque vilis, is fame pressis & viribus exhaustis præsentaneam suam utilitatem exhibet: hinc multi Panis laudes merito concelebrarunt, conf. ARNDTIUS *V.C. Lib.4. c.3.* SPENER Thätig. Christenth. *Dom.VII. Trinit.p.254.sq.* CASP. REJES. *Comp. Elys. juc. qu. 85. n. 8-10.* CAMERARIUS *Syllog. memorab. Cent.20 partic.48. Rob.* FLUDD *de Pane nutrimento facile principe*, WEDELIUS *Exercit. Philol. med. Cent.1. decad.4. exerc.3.* Quam tenuis atque vulgaris itaque panis censetur victus, tam eximiam vim habet, vitæ & sanitati proficuam, unde multis ægris ex pane parata esculenta & potulenta exquisitum largiuntur cordiale: Facile vero liquet, quod sub attento scrutinio in simplicioribus maxima vis lateat, præcipue ea, quæ ordini & viribus naturæ præcipue conveniunt: hinc SENECA *Ep. 95.* exclamat: *Simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos, multa fercula fecerunt: vidi quantum rerum per unam gulam transiturarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix.* Quicquid itaque in rerum universitate a simpliciori & viliori ordine, statu, gradu, & facultate deflectit, & scrupulosis, curiosis & luxuriosis artificiis alteratur, id haud æquales & prosperos promittit usus atque successus. Et dum alimenta & potulen-

ta intimiora corporis loca intrant & penetrant, facile porro liquet, quod multum inde œconomiæ vitali quoad vires naturales, partium fluidarum temperiem & congeriem, ſolidarum mobilitatem atque robur, vaſorum & canalium receptivitatem & permeabilitatem & ſingularum functionum ordinem atque ſucceſſum, accedat: unde recte colligitur, talem expectandam eſſe ſanitatem, qualis obſervari ſolet diæta: nec unquam alicui lauta, opipara, luxurioſa, guloſa, ſplendida & pretioſa diæta vegetam ſanitatem & diuturnam vitam promiſit; quare recte PLUTARCHUS *Lib. 4. Sympoſ. qu. 1.* teſtatus fuit, *quod e multiplici victu ſimplicior non modo paratu, ſed etiam concoctu facilior ſit.* Hæc conſideratio calcar nobis addidit, ut præſenti Specimine inaugurali DIÆTÆ TENUIS SALUBRITATEM explicemus & commendemus. Cui inſtituto ut cœleſtis actionum noſtrarum Moderator proſpero ſucceſſu annuat, eſt quod in limine hujus tractationis humillimis precibus flagitamus.

§. I.

QUantum medici *antiquiores* & recentiores *Diætæ ſelectæ* ad *ſanitatem* tuendam & conſervandam tribuerint, uberrimis teſtimoniis conſtat: hoc loco duntaxat in memoriam revocare placet, quod veteres *exquiſitam* diætam in *morbis* præceperint, & quidem talem, quæ *viribus* conſervandis, confirmandis & roborandis quadrat: & quoniam de *tenui* diæta tale quid expectare & promittere haud potuerant, ideo in mor-

morbis illam diætam haud probarunt; persuaserant sibi, quod in morbis victus conducat, ast non *tenuis*, qui *vix nutrit* & reficit, sed magis *consistens*, *alimentosus*, medicamentosus & *confortans:* in eo autem nobis non *ordini naturæ* inhæsisse videntur, quoniam *principale* morbi signum & pathema esse solet *victus aversatio* & *appetitus dejectio*, aut vaga hujus atque turbulenta conditio; *reluctante* enim appetitu victum *obtrudere* velle, *pessime* ægroto consulitur, sicut illi *plebejo* errore ægros, cibi fastidio laborantes, ad victum ingerendum urgent & *cogunt*, sub falsa spe, quasi *vires* inde firmiores recuperent, cum tamen HIPPOC. assertum *Sect. 7. aph. 62.* veritati maxime consonum sit, quod *alimentum, ut sano robur, sic febrienti morbus sit:* spectat huc HOLLERII *Scholion. omnis enim morbus*, inquit, *quatenus morbus, perpetuam inediam postulat, quod cibus ægrotandi exhibitus morbum adaugeat:* addo BARTHOLINI suffragium *de sangu. vetito p. 17. quicquid reluctante natura assumitur, turbare quidem illam potest, non nutrire aut roborare.* Multum quidem *veteres* victus *selectui* & moderationi tribuerunt, quia spe se lactaverant, inde corporis augmento & *virium* robori multum adjumenti accedere, hinc non solum sanis, sed & ægris certam victus rationem atque regulam, quoad quantitatem, qualitatem, tempus, & reliquum ordinem ordinaverant. Alias HIPPOCRATES cum interpretibus & glossatoribus suis appellatione victus simpliciter tenuis, *exacte* talis & tenuissimi magis lusum commiserant, quam usum præstiterant: Communiter quidem tenuem victum appellaverant, qui magis nostris temporibus atque locis *enervat:* hinc VALLESIUS *in Hipp. Sect. 1. aph. 4.* ait: *simpliciter*

pliciter tenuis victus, debilitat parum: exacte tenuis, debilitat conspicue: tenuissimus debilitat multum: constat semper hoc periculi esse in victu tenui, quod facultas languescat, & *Christoph. a* VEGA *in Hipp. L. 1. aph. 8.* ita commentatur: *per victum tenuem non servantur vires & per ipsum ægri non poterunt ad summum morbi vigorem perdurare:* tenuis itaque victus veteribus dicebatur, *levis*, dilutus, debilis, magis *humectans*, parum *nutriens*, haud reficiens, aut parum roborans: ita CHR. a VEGA *in aph. 3. p. 556. 557.* commentatur: *victus exacte tenuissimus, ut acetum mulsum, aqua mulsa: acetum mulsum nullum, aqua mulsa paucum & imbecillum præstat alimentum: victus non exacte tenuissimus aqua hordei elixi, donec hordeum rumpatur, non expressa & jus galli tenue amygdalatum: exacte tenuis cibus est jus gallinæ cum hordeo elixæ, expressis granis, lactuca elixa cum aceto, pyra aut poma assa, cucurbita elixa cum jure pulli, aut gallinæ integra ptisana: non exacte tenuis jus gallinæ cum mica panis, alæ avium elixæ, hepata gallinarum vitelli ovorum:* sed quis non ex hac relatione abunde perspicit, plurima recensitorum subjectorum aliqualem facultatem *alimentosam*, aliqua vim alterantem & *medicamentosam* habere; ideoque juxta veterum opinionem non adeo aliena & inutilia esse: etenim antiquata est traditio, quasi *alimentosorum* ingestio in *morbis* sit proficua, quasi illa *absolute* in morbis roborent, quasi *per se* in morbis *nutriant* & reficiant, quasi in morbis victus *ingestio* necessaria & *bonæ* prognoseos sit, cum tamen innumeris exemplis comprobetur CELSI monitum, multos graves morbos *abstinentia* curari, & quod in *plurimis* morbis consultum magis *modice* a ciborum ingestione

ne *abstinere*, ne *novo onere*, ut HOLLERII verbis exprimam, *natura debilis fatigetur*, neve hæc *a coctione morbificæ materiæ revocetur*, dum vires *superstites* magis caussæ morbificæ *subjugandæ* & exterminandæ præstent valeantque. Ob id etiam veteres *tenuissimum* victum illis concedunt ægris, qui alias viribus adhuc *robustis* gaudent: sicut ROD. a CASTRO *de M. M. Lib. 1. c. 10. in sch. p. 48. lin. 36.* testatur, quod *victus tenuis facile a natura superetur, minimeque excrementosus sit:* quam veterum sententiam etiam illustrat PAUL. de SORBAIT *Meth. Med. cap. 10. qu. 12. qu 90 & Med. Pract. Tr. 1. c. 5. obs 3.* hinc nonnulli hoc temperamentum constituunt, quod victus *tenuis* in *acutis minus*, in *chronicis* valde *noxius* sit: ita enim differit SEBIZIUS *de aliment. facult. Lib. V. probl. 74. p. 1395. conveniens est victus tenuis in morbis acutis & præsertim in summo illorum vigore - - lucta enim naturæ tum temporis cum morbo est magna, estque natura circa* πεπασμὸν *morbificæ materiæ occupata: ideoque ab officio suo minime avocanda: parum vero tutus est iste tenuis victus in morbis longis teste Hipp. aph. 4. Sect. 1. vires enim demolitur, quæ tamen roborandæ sunt, ut æger durare morbique expectare finem valeat.* Huic *tenui* victui veteres opponunt *crassum* consistentem, *alimentosum*, pinguem, & plenum: quam considerationem generalem pro illustranda & quadantenus distinguenda præsenti nostra disquisitione præmittere placuit.

§. II.

Ut autem nostro themati *propius* veniamus *primo* loco *tenuem Diætam* vocamus: *qualitatem victus & potus viliorem non valde pinguem, sed modice alimentosam, simplicem*

cem & usitatum, *quantitate etiam viribus individuorum convenientem & respondentem:* quare non æque semper & absolute ratio *consistentiæ* hac tenuitate intelligenda erit, quasi valde *dilutus*, *aquosus*, levis & fluidus *semper* talis cibus & potus esse debeat, dum qualitas hæc *interdum* etiam *consistens* & mediocriter crassa esse potest: ob id *tenuem* diætam vocare possumus illam, quæ *modicum* nutrimentum largitur, quam vocant eine leichte, mäßige nonnunquam etiam eine geringe und sparsame Kost: quæ opponitur einer guten, fetten, nahrhafften und mästenden Kost; *hanc* diætæ qualitatem *congrua* relatione etiam *simplicem* vocare possumus, qua subjecta aut *parca* quantitate *sufficienter* nutrientia, aut *paulo largiori* copia usurpata *mediocriter* alimentosa, *naturali* magis qualitati congrua, aut *domestico* simplici & *parum artificioso* more & modo præparata adhibentur, uti vulgo nuncupant, eine gemeine häußliche, bürgerliche, oder Hauß, und Hauß-Manns-Kost: *tenuitati* quidem sensu *physico*, communi & naturali opponitur *crassities*, spissitudo & *saturata* consistentia, attamen relativo & *medico* significatu ex *parte simplex*, vilis & consistens diæta æque tenuis vocari potest, quasi *medico* significatu interdum *cruda coctis* opponuntur, licet *illa* non *physico* sensu *dura*, crassa & spissa existant. Inde etiam est, quod homines vilioris conditionis, *duro* & *laborioso* vitæ generi dediti, valde *simplicem*, famelicum, & *tenuem* victum usurpent, eine schlechte, geringe, magere Kost, attamen ad *arduos* & *graves* suos labores *vires* comparate *sufficienter* possident: ita ZACUT. LUSIT. *in Medic. Princ. Hist. L. 2. hist 80. dubio 48. p. n. 326. a. lit. E* inquit, *rurales homines & laboribus dediti simplici utentes victu*, *robusti*

busti sunt: contra variis epulis adsueti, imbecilles & morbis valde obnoxii: quae myriadibus exemplorum comprobata observatio contra illos aperte militat, qui *vires* naturales *materiales* a cibo & potu derivare contendunt; ubi facile manifesta contrarietas elucescit, quando *robustae*, firmae, strenuae vires cum *diaeta vili*, tenui, *simplici* comparantur: & vicissim magna hominum copia, in oeconomia *divitum* & vita *aulica* degentium, valde *pingui*, nutritiva, sapida, splendida, *generosa*, spirituosa, aromatica, *altiori* sapore praedita diaeta fruitur, nihilo tamen secius valde *sensibilis*, imbecillis, *infirma* ac vacillante sanitate instructa deprehenditur: ubi vaga & infirma provocatio ad constitutionem corporis, ad consuetudinem, velut ignotos Deos & refugia turbulenta, percipitur, quando antea austera fronte & tenaci credulitate, vires in victu & potu *materiales* declamatae fuerant; hinc *roboratio* cum *Diaeta* conveniens, ex *alio* nervo probandi, quam *materialitate* virium derivanda est. *Alterum* momentum praesentis tractationis est, quod *tenuis* Diaeta prae reliqua *salubris* existat, praecipue *sanis* subjectis, deinde etiam utplurimum *aegris*: illis quidem *familiari* & *quotidiano* usu, quamvis interdum pinguior victus non statim ac per se sanitatem violet; attamen *hic quotidiano* usu haud certam, firmam & diuturnam sanitatem promittet. Si diaetam hominum *primae* mundanae periodi dijudicamus, qui praecipue *sobrietati* operam dederunt, *aliorumque*, qui *luxuriei* indulserant, facile inclarescet *illos durabiliori* & firmiori sanitate praeditos fuisse: quemadmodum etiam constat *priores* illos e *vegetabili* plurimum regno *tenuem* & temperatam diaetam servasse: nec longaevitas eorum,

qui *ante* diluvium luxui dediti fuerant, expreſſa littera in Sacro Codice probatur, niſi magis *præſumatur* & incerta conjectura indicetur. Subinde etiam *luculento* documento conſtat, quod dum in univerſo cœtu hominum, plurimi aut in *mediocri* aut *vili* ſtatu verſantur, ideoque diæta magis mediocri, aut plane vili, ſimplici atque tenui utuntur, ſub *hac* autem *robuſta* magis ſanitate fruuntur, *hæc* diæta propterea *vitæ naturali* magis etiam conducat. Quod ad *ægros* autem attinet, tunc, ſi etiam cibum aſſumere poſſunt, magis *tenuem* proptereaque evpeptum atque modicum ingerere debent, quoniam *hoc* tempore & ſub hoc ſtatu, corpus *non nutriendum*, ſed ſub reliquo periculo vitæ conſervandum, *quælibet* functiones autem ad ſanitatem recuperandam neceſſariæ, *promovendæ* ſunt, quo præter multa alia ſubſidia diæta comparate *tenuis plus* confert, quam conſiſtens & perquam *nutriens*, quæ magis ægros *onerat*, quam roborat, viresque magis conſumit & depauperat, quam reficit & confortat.

§. III.

Per *tenuem* autem diætam non *plane famelicum* ac neceſſario alimento carentem victum intelligimus, quem vulgo ein hungerig, geringe, ſchlecht und mageres Mahl vocant, ſed potius *mediocrem*, temperatum & ad *neceſſitatem* vitæ, pro ratione ætatis, vitæ generis, virium, conſtitutionis corporis, excretorum &c. inſtructum; ideo a tali diæta tenui diſcrepat convivium pinguedinum, medulloſum, ein fett Mahl, quod *ſuperflue* nutrit: nec propterea naturalis neceſſitas poſtulat victum talem opiparum, ſi in nonnullis ſubjectis deprehenditur, flagrans appetitus, calidus ventriculus, robuſta concoctio, ſtrenua ex-

excretio, quæ qualitates æque congrua tenui diæta saturari possunt, id quod iterum exemplo & testimonio populi agrestis & reliquæ plebis aperte confirmatur. Hæc ipsa tenuitas autem concernit qualitatem victus & potus respectu contentarum materiarum *nutritiarum*, quæ mediocri & modica copia illico comprehenduntur; sicut. v. g. panis secalinus & cibi hordeacei non tam largiter nutriunt, ac triticea alimenta: carnes elixæ & coctæ comparate parcius, quam assæ, alunt: *conf.* CELSUS *L. 1. c. 2.* BARTHOLINUS *Medic. Dan. dom. diss. 6. p. 277.* CAMERARIUS *Syllog. Memor. Cent. XII. part. 24.* neque etiam cum tenui victu *nimia* impletio, *superflua* ingestio, *gulosa* ingurgitatio ciborum, *mediocriter* nutrientium, convenit, quæ rectius tenuitatem ita immutat, ut copia & *quantitate* suppleatur, quod in *qualitate* prius *temperatum* magisque congruum fuerat. Qua de causa Diæta tenuis etiam collective *moderamen in copia* ingerendorum complectitur: etenim licet usus lactis, butyri, casei, præter panem, victum simplicem constituat, tamen *plenior* & uberior eorum ingestio, quia *superfluum* alimentum suggerit, deprædicatam illam tenuitatem violat. Et ita secundum naturalem relationem tenuis diæta *accommodata* esse debet generali qualitati & *constitutioni materiali* corporis humani, quæ *plurimam* partem *aquosæ* humiditatis, multam *terrestris* substantiæ, & *modicam*, si non comparate *parcam* copiam *pinguis*, aut oleosæ materiæ comprehendit: prior ad *sufficientem* humorum liquidam *fluiditatem*, reliqui vero corporis *lenitatem*, lubricitatem, mollitiem & flexilitatem, altera ad partium *soliditatem*, consistentiam, densitatem, resistentiam, ultima ad fluidarum

darum & ſolidarum partium *unctuoſum lenitionem*, gelatinoſam *emollitionem* &c. confert: ob id *naturali* qualitati conformis, inſuper ſanitati & vitæ magis *ſalubris* diæta eſt, quæ magis *liquida*, aut humida, aquoſa ideoque temperata, diluta & *tenuis* exiſtit, quo cibus & potus non valde pinguis & ſaturatus requiritur, ideo *temperatæ* fruges, carnes *non valde ſaginatæ*, lacticinia *modice* uſurpata, fructus aruenſes, braſſicæ, betæ, atriplex hortenſis eſculenta, rapa ſativa, napus ſativa, paſtinaca ſativa, fructus leguminoſi, decocta hordeacea, avenacea, oryza, farinacea, carnes & piſces muria conditi, & fumo impraegnati huc ſpectant, ſingula talia alimenta non ad luxum, ſed ad *neceſſitatem* præparanda & *ampliori vehiculo*, juſculo aut embammate mit einer weitläufftigen Brüh conficienda ſunt: accedunt herbæ betæ, chærefol. ſpinachiæ, acetoſ. endiviæ, borraginis, portulac. lactuc. heder. terr. meliſſ. menth. major. thym. plantag. latifol. ſalviæ, bellid. urtic. min. &c. talis hactenus deprædicata *tenuis* diæta e *vegetabili* regno magis inſtruenda eſt, quam animali, quoniam in horum partibus *alimentoſa* materia magis *adaucta*, imo plane interdum *concentrata* eſt: hinc communiter *juniorum* carnium eſus & producta ex animalium ſubſtantia & miſcela, velut Lac, Butyrum, Medulla, pinguedo, gelatina, juſcula, quæ alias Krafft und nahrhaffte Brühen dicuntur, diætæ *pinguiori* & *conſiſtentiori* annumerari debent. Quod de victu *tenui* modo dictum eſt, id etiam de *potu huius* qualitatis valet, qui multis modis ſuam *ſalubritatem* probat: & licet in nonnullis locis *ſaturatus* pinguis potus cereviſiarius præparetur, quem vocant ein ſtarckes, fettes, ſchwehres, mä-

ſtendes

ſtendes Bier, haud tamen propterea hic præ altero ſalubritatem majorem teſtatur, quin verius conſtet, quod multi talium locorum incolæ pro ſanitate ſublevanda, cerevisiam *tenuem* & ſecundariam ſeligant & adhibeant; quare GALENUS peculiari libello *attenuantem victum* indicavit, explicavit & commendavit: recte igitur BARTHOLINUS in *Medic. Dan. dom. diſſ. 6. p. 239.* aſſerit: *ſi naturam ducem ſequeremur, paucis contenti ſalubrius degeremus, ſpretoque apparatu magnifico, frugali noſtro victu, quem in ſingulos dies majorum ſimplicitas inſtituit - - ſanitati melius conſuleremus, opibus & felicitati enim vero ad opiparam cœnam undique conquiſita edulia, gulæ irritamenta, quæ onerant ſtomachum, non ſatiant, crumenas emungunt, familiasque depopulantur:* & p. 241. *laudamus veterum philoſophorum frugalitatem, qui parco & parabili cibo ſatiari maluerunt, quam ſaginari, ne alienarum eſcarum appetitu ineſcati pecuniam dilapidarent, vel ſi ea carebant, ne injuſte acquirerent,* nec non p. 242. *majores noſtri ita animati erant, rebus domi natis veſcebantur, roboreque corporis & animi teſtati & ætate provecta, quam bene nobis noſtra placere debeant, quibus vel pueri adſuevimus, vel communi naturæ inquilinæ deſiderio plerique incolarum magno valetudinis incremento delectantur;* præterea p. 243. *varius enim victus, aliunde accerſendus turbat rationes ſapientis, avarasque cogitationes ſuggerit* &c. Non minus etiam HIPPOCRATES ad claſſem tenuis victus retulit ῥοφήματα Sorbitiones; teſtimonio quod *liquida* eſculenta ſingulari prædicato atque uſu ſe diſtinguant, & JAC. SYLVIUS *de victus ratione ſalubri Tom. I. p. 15.* inquit, in *tenui victu magnam opem*

invenit ſanitas, & ROD. GOCLENIUS tr. *de Sanorum Diæta* p. 26. teſtatur, qui ſanitati ſuppetias ferre cogitat, is *tenui* Diætæ aſſueſcere diſcat.

§. IV.

Communis atque vera eſt aſſertio, quod *Diæta* ſit accommodanda hominum *ætati*, *robori*, *conſuetudini*, *vitæ generi*, conſtitutioni corporis aut *temperamento*, quoniam pro varietate *provinciarum* diætæ etiam inſtructio diſcrepat: etenim *debilibus* ſubjectis aut *infirmo* ventriculo præditis hominibus *dyspepta*, conſiſtentia & *craſſa* alimenta, licet *tenui* nutritiva qualitate conſpicua, *haud naturali* proportione reſpondent, & vice verſa: ſic etiam in obſervatione medica conſtat, nonnullos homines *robuſto* & calido ventriculo gaudere, quosdam *ſtrenuis* laboribus corpus exercere, ideoque multa in corpore *conſumere*, quibus itaque *congrua* diæta ordinanda eſt. Inde quæſtio illa decidenda erit, an *omnibus* ſubjectis *tenuis* conducat Diæta? quam *affirmativa* reſponſione reſolvimus! hac *diſcretione* adhibita, quod *tenuitas* principaliter in mediocri & *temperata* conſiſtat *alimentoſa* virtute, qualia ſubjecta eſculenta & potulenta pro diſcrepantia circumſtantiarum modo moderata, modo *uberiori* copia, nunc *liquida* & diluta, alibi *conſiſtente* magis qualitate uſurpari poſſunt: attamen hæc ciborum conſiſtentia a *ſicca* & *tenaci* craſſitie diſtinguenda eſt, ſiquidem *agreſtis*, *vilis* & dura diæta nihiloſecius *convenientem* & ſufficientem humectationem poſtulat; Quare talis *tenuis* Diæta multis modis *ſalubritatem* ſuam *ſanis* promittit hominibus: & quidem generatim corpus non *ſuperfluo* alimento onerat: nam *pingues*, oleoſæ, gelatinoſæ mate-

riæ

riæ *larga* & nimia ſua quantitate *pondus* fluidarum & ſolidarum partium *aggravat;* ſanguinis miſcelam & conſiſtentiam *ſpiſſiorem* reddit, qui propterea ein fettes, dickes, ſchwehres, öhlichtes Blut vocatur, inde maſſa ſanguinea *viſcoſior*, tenacior & ſpiſſior redditur, unde facilius vaſorum ſanguiferorum aliorumque canalium occluſiones, viſcoſæ impletiones, humorum ſtagnationes, membranarum emollitiones & relaxationes, reniſus naturalis enervationes, viſcoſarum partium adhæſiones, polyporum generationes, aliaque multa mala ortum ducunt: dum contra *modica* ſubſtantiarum *pinguium* collectio reliquis humidis ac *fluidis* partibus *meliorem* acceſſum parat, ut quilibet humores, *mobiliori* qualitate inſtructi, *faciliores* progreſſus per *teneriores* & anguſtiores vias, poros atque tubulos ſervaret queant: præterea *ſolidis* partibus non minor inde accedit utilitas, quando *temperata* quantitas alimentoſarum ſubſtantiarum, *oneroſam* obeſitatem & pinguedinis augmentationem præcavet, *fibras* motrices, membranas & tunicas non nimis *relaxat*, nec *vires* valde enervat; ſicut homines in *valde* alimentoſa & *luxurioſa* diæta viventes facile *torpidi*, tœdioſi, laſſi & pigri evadunt: contra vero *modica* quantitas *alimentoſæ* materiæ, mox in *neceſſarios* ſanguificationis & nutritionis uſus impenditur, nec cum *ſuperfluis* reliquiis illius vires *aggravantur*, & corpus *adimpletur: tenuis* viciſſim diæta omnia hæc impedimenta & detrimenta arcet & avertit: ſiquidem conjuncta *ſufficiens* corporis *humectatio* omnes functiones, vitæ & ſanitati miniſtrantes, ſublevat & promovet: inde myriadibus exemplorum comprobatum eſt, quod *viliori* diæta fruentes, niſi alicubi *exceſſus*

 com-

commiſerint, *firma* atque ſtabili ſanitate fruantur: huc quadrat effatum BARTHOLINI *l.c. p. 292.* ubi de Piſcium uſu ſelecto apud Danos differit: *mollium piſcium alimentum*, inquit, *hominibus otioſis, ſenibus imbecillibus & ægrotis accommodatiſſimum eſt; qui vero corpus exercent, cibos poſtulant firmiores: Exercitatione enim calor augetur, qui, niſi dura alimenta occurrant, in proprium humidum ſævit; hinc videmus meſſores noſtros & tritores niſi duriſſimis cibis ſatientur, labori eſſe impares.* Et ita victus *qualitas* exacte *conferenda* eſt cum ſubjectorum conditione, quoniam facile cum Diætæ *incongrua* qualitate vitæ & ſanitati præjudicium & damnum infertur: huc ſpectat HIPPOCRATIS teſtimonium *Lib. 1. de Diæta ſ. 1. t. 1. qui de victu humano ſcripturus eſt, cenſeo totius hominis naturam noſſe ac dijudicare oportere - - quæ in ipſo partes dominium obtineant - - deinde ciborum ac potuum omnium, ex quibus victum habemus facultatem.* Medici itaque officium eſt, ut cum plurimum *ſanitati* & *viribus* naturalibus *Diæta* miniſtret, hæc rite inſtruatur, ob id periti medici & prudentes philoſophi, luxuriem, *guloſitatem*, & exſuperantiam reprehendunt: teſtatur hoc SENECA *in Conſol. ad Helvet. c. 9.* aſſerens: *corporis exigua deſideria ſunt: frigus ſubmoveri vult, alimentis famem extinguere: quicquid extra concupiſcitur, vitiis, non uſibus laboratur - - undique convehunt omnia nota faſtidienti gulæ: quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt, ut edant, edunt ut vomant:* id quod ex parte Diætam temperatam tenuemque reſpicit.

§. V.

Quicunque præterea ob rationem *juventutis* ſanæ

&

& vegetæ, temperamenti *calidi* & vivacis, virium *robustarum*, appetitus *ferventis*, concoctionis *promptæ* facile *largam* sanguinis copiam colligunt, indeque concurrentibus aliis causis multas molestias experiuntur, aut metuunt atque expectant, aut alias *plethoræ* titulum & præsentiam valde expavescunt, vel *individualem* qualitatem *accumulandi* sanguinem possident, qui propterea Blutreiche Menschen, denen leicht alles zu Blut wird, vocantur, in quibus etiam ob prædictas causas, ut & ob liberum, facilem & vegetum circuitum sanguinis functio naturalis *sanguificationis* promptius & uberius succedit, illis *tenuis* Diæta multam salubritatem promittit, partim *privativo* respectu, ne *alimentosæ* partes *nimis* augeantur, partim *positivo* intuitu, ut excretiones magis *promoveantur*, nec retentiones *prævaleant*, nec etiam sub *pinguiori* humorum consistentia materiæ *sanguinem* constituentes, *largius* coalescere, & reliquam quantitatem *ultra necessitatem* & *utilitatem* augmentare queant: hinc talis Diæta Massam Sanguinis in *mediocri* copia, ne excedat, neve deficiat, conservare adjuvat: ob rationes *sufficientes physicas* tenuis hæc diæta præcavet, quo *minus* sanguis *auctius* generari queat, dum non modo privative *pauciores gelatinosæ* & in consistentiamproniores substantiæ colliguntur, sed & positive *largiores humidæ*, aquosæ & diluentes materiæ massam humorum adeo comparate discontinuant, quo minus materiæ, *sanguinem* constituentes, facile & copiose misceri & *coalescere* possint: hinc *tenuis* victus *naturalis*, certa, secura, efficax, tacita & placida medicina est, quæ præjudiciosam & *perniciosam plethoram* præservat, temperat, a *noxiis* effectibus deti-

net & coercet: & qui hac diæta *paulo plenius*, liberalius uberius utuntur, *æque facile* damna inde & ſanitatis offendicula expaveſcere debent: eo minus etiam cum hac *tenui* diæta tam *ſtricta lex* obſervanda erit, ut ad *lancem*, aut exquiſitum pondus diſponatur, qualis caſus apud THONERUM occurrit *Lib. 6. ep. 4. p. 284. ſq.* vel ſicuti Propheta *Ezechiel*, quam diu in *ſiniſtrum* latus jacebat, viginti ſidorum pondus uno quoque die ſtatis horis comedere debuit: *c. IV.* noſtræ aſſertioni & demonſtrationi annuit LUTHERUS in der Hauß-Poſtill *Dom. 7. Trinit. Opp. Lipſ. Part. XV. p. 372. a. b.* „ Man ſiehet, daß der Reichen „Küche nicht jederman diene, und die Leute nicht lange ge„ſund dabey bleiben, daß mancher ihm lieber ein Stück Brod „und einen friſchen Trunck Waſſer wünſchen ſolte, dabey er „möchte geſund bleiben, denn ſolchen Uberfluß, davon Kranck„heit und ungeſunder Leib folgen muß. Wie man gemei„niglich an den Reichen ſiehet, die mehr nach Wolluſt, als „was dem Leibe geſund iſt, und zur Nothdurfft dienet, trach„ten, darum gedeyhet es ihnen auch alſo, daß ihrer viele „vor der Zeit an mancherley Seuchen ſterben: da dargegen „arme Leute, die da eſſen und trincken müſſen zur Notdurfft „was ſie haben, dabey friſch und geſund bleiben, und viele „Jahre erreichen. „ Præterea *tenuis* diæta *præſervat* homines a moleſta & præjudicioſa *corpulentia* ſ. obeſitate, dum *pingues* alimentoſæ ſubſtantiæ non *accumulantur*, reliquus *dilutior* cibus & potus *excretiones* promovet, largas vero *cohæſiones* viſcoſarum & pinguium partium præcavet: ob id *coqui*, omnes ollas & embammata guſtantes, & in *culinis* ſub *nidoroſo* vapore verſantes, facile & ſæpe *ſaginantur* & nimiam *obeſitatem* nanciſcuntur: id quod etiam

iam de *potu ſaturato* & pingui valet, fett Bier måſtet ſtarck, und machet fett: id quod in inhabitatoribus obſervare licet *talium* civitatum, ubi Cereviſia iſtiusmodi *nutriens* coquitur, ſub cujus uſu cives comparate *parcius cibum* aſſumunt, quia *plurimum* alimenti cum cereviſia comparant: idem teſtatur BARTHOLINUS *in Medicina Danorum domeſtica diſſ. 9. p. 381.* inquiens: *Potatores Cereviſiæ raro edaces ſunt, cum cereviſiæ nutriendi magna inſit vis:* quicunque vero e culina *largam alimenti* copiam colligunt, illi etiam *tenui* potu utentes, nihilominus conſpicuam *corpulentiam* acquirere poſſunt: quare idem BARTHOLINUS *l. c. diſſ. 7. p. 319. ſq.* indicat: *noti mihi ſunt, quam plurimi, qui obeſum corpus geſtant, ſolius cereviſiæ ſecundariæ potatores:* proinde autem plane *robuſti*, firmi, exquiſite ſani, vegeti & cœteroquin duri ſunt homines, qui ob *ſimplex* vivendi genus e *tenui* diæta nihilominus ob *connatam* qualitatem, aut *individualem* conſuetudinem firmum & procerum corpus recuperant: quod enim *Danielis diætam tenuem* & vilem, in cibo *leguminoſo* & *potu aquæ* conſiſtentem concernit, dum *regio* victu uti recuſabat, ſub qua ipſe cum ſociis ſuis & *forma lætior* & *corpore pinguior*, aut carne obeſior, præ omnibus pueris comedentibus cibum Regis, apparuit, tunc id velut *extraordinarium* ſignum, *ſpeciali divina* benedictione & providentia contigit; quoniam alias e vili diæta, modo *ordinario* & conſueto, *ſimile* quid contingere *haud* ſolet: interim *vilis* & *tenuis* Diæta a ſe invicem diſcrepant; ſicut vile pabulum animalia haud pinguefacit; tenuis autem victus hominibus *moderatum*, attamen *ſufficiens* alimentum largitur, quod in vili cibo aut eſca tamen quadantenus deficit.

§. VI.

§. VI.

Præter hæc commoda, quæ *tenuis* diæta vitæ & ſanitati naturali offert, etiam *concoctionem* promovet, *ſublevat* & abbreviat; utut etenim quædam ſubjecta eſculenta in diæta ſimplici *conſiſtentia*, ſicca & compacta ſunt, tamen cum *ſufficienti* vehiculo tenui, humido & diluente permixta, facilius in ventriculo, conjuncto hujus motu & calore naturali, *emolliuntur*, leniuntur, macerantur & reſolvuntur, imprimis dum tales cibi ob *modicam* pinguis ſubſtantiæ præſentiam & intermixtionem, reliqua compages *non nimis tenax* & viſcoſa eſt, unde ſub digeſtione facilius ſeparari illa ſubjecta poſſunt: interea *cruda*, *ſpiſſa*, *tenacia*, valde dura & dyspepta a *tenui* diæta diſtinguenda, aut alimenta conſiſtentia æſtimanda ſunt, ſecundum receptivitatem *individuorum*, habito videlicet reſpectu *roboris* individualis, virium, ætatis, ſexus, temperamenti, educationis, adſuetudinis, &c. quæ conſideratio & differentia talium reſpectuum, qualis *ſpecies* tenuis diætæ uni ſubjecto magis, alteri minus conveniat & conducat: ita enim ſubjectis *robuſtis* alimenta cœteroquin *tenuia*, ſed *conſiſtentia* non valde *mollia*, pulpoſa & nimis diluta quadrant; viciſſim *mediocrium* virium hominibus tenuis diæta quoad *mixtionem*, ſed & quoad *conſiſtentiam* convenit; quæ *relativa* qualitas concoctionis functioni ita reſpondet, ut hæc naturali vigore promptius & facilius ſuccedat: talis etiam Diæta *nutritioni moderatæ* & ordinatæ admodum ſubvenit; hæc enim tenuem & *temperatum* ſubminiſtrat chylum & lympham, hi humores facilius per ſuos ductus, *canales* & meatus progrediuntur, ideoque æqualiter diſtribui & partibus nutriendis communicari poſſunt, quibus tamen

haud

haud crassa & viscosa accumulatione adhærent, sed modica quantitate & æquali proportione apponuntur, ut propterea nutritio nec superflua, nec accelerata, nec inordinata succedat: quam ob rem illi, qui *molestam* proceritatem corporis nanciscuntur, ad victum & potum *parcius* nutritivum confugiunt, & *gravidæ majorem* molem corporis *fœtus*, insuper autem laboriosum, dolorosum & *difficilem partum* præcaventes, perinde aut *parcum* aut *tenuem* victum seligere & assumere solent: proinde in ratione *physica* fundatum etiam est, quod diæta *valde* alimentosa in *multis* hominibus propriam nutritionem partium organicarum magis impediat, & *molestam obesitatem* causetur, dum partes *pingues* & gelatinosæ *inordinatius* sibi invicem apponuntur, & motui fluiditatis quippe magis viscosæ minus æqualiter obtemperant: exemplum & documentum hujus veritatis in *hominibus* æque ac animalibus *brutis* occurrit, quibus *nimis alimentosæ* diætæ & victus conditio sub periodo vegetioris nutritionis *haud tantum* confert, ac *temperata* aut tenuis; hinc pueri & adolescentes e culina matrum in peregrinam œconomiam emissi, majori vigore & meliori successu nutriuntur; sicut *valde pinguis* & *saturata* saginatio, *junioribus* animalibus magis *decrementum* & mortem, quam nutrimentum & sustentationem promittit: quæ regula & observatio peritis & attentis œconomis & cognita & provido usui perquam commendata est. Porro *temperata* & *tenuis* hæc diæta *liberum*, *ordinatum* & *æquabilem* humorum *progressum* promovet & facilitat; *duplici* subsidiario effectu, partim humores in *fluida mobilitate* conservando, partim *canales*, vias atque poros in debita *lenitate*,

D flexi-

flexilitate & *permeabilitate* adjuvando; *hæc* enim diæta iterum ſuggerit chylum & lympham modicam, *temperatam*, fluidam & tenuem, unde tota *Maſſa* humorum quoad *conſiſtentiam* dilutior & *mobilior* redditur: ſicut contrario modo diæta *plena*, *pinguis*, *ſaturata*, nimisve alimentoſa ſanguinis maſſam *viſcoſam*, conſiſtentem, nimis pinguem & craſſam, ideoque *tardius* & *difficilius* circulantem reddit: illa autem *tenuis* diæta *fluidis* partibus ſ. humoribus, ſubſtantias magis *teneras*, *lubricas*, molles & minus tenaciter cohærentes communicat: ob id *motus cordis* inde redditur *moderatus*, ordinatus, æqualis & conſtans: Sanguis per univerſam corporis diſtantiam *libere* & *facile* circulatur: Singulæ partes, ad corporis œconomiam ſpectantes, ab hac *æquali* & univerſali diſtributione humorum multa alia commoda impetrant: & hoc medium atque ſubſidium multum ad ſanitatem atque durabilitatem contribuit: hinc illi qui diæta opipara, ſplendida, luxurioſa, valde nutritiva & obſaturante fruuntur, multa impedimenta & *incommoda*, quoad hunc *ordinem circuli ſanguinis* experiuntur: quod itaque de toto prædicatur, videlicet de *Maſſa* humorum, id etiam valet de partibus, nimirum de chylo, lympha &c. quorum ſpecialium humorum progreſſus æque facilis & æqualis a tali diæta promittendus & obtinendus erit.

§. VII.

Eadem Diæta *tenuis* & *temperata* præter hactenus nominatas & demonſtratas utilitates ab *obſtructione* & *infarctu vaſa* & *viſcera* præſervat, ideoque pernicioſas humorum *ſtagnationes* & *ſtaſes* avertit; dum videlicet

partes

partes illas continentes in naturali ac conveniente *mollitie*, *lenitate*, *flexilitate* ac lubricitate conſervat, easdem ita aptas reddit, ut humores *affluos facile* admittant, & *tranſitum* eorum ſublevent: ipſi autem humores *craſi* & *conſiſtentia* ſua magis *tenues* ſubtiles meatus atque ductus *facile* penetrant, nec ullibi ſuſpecta viſcoſitate *adhærent*: *phyſico-hydraulica* enim eſt ratio & demonſtratio, quod fluidum *dilutum*, leve, *mobile* & tenue per canales *lubricos*, lævigatos & extenſiles *facilius* progrediatur: quippe quæ utilitas ſicut in *ratione* fundata, ita in *obſervatione* confirmata conſtat; ſiquidem homines ſub *hac* diæta *nec polypo* cordis, nec *malo hypochondriaco*, nec *hepatis* & *lienis obſtructione*, nec glandularum infarctu, nec ſimilibus aliis affectibus, niſi *errores* in diæta commiſerint, aut *violentis* cauſis obnoxii redditi fuerint, aut *incongruis* medicationibus ſe ſubmiſerint, corripiuntur. Veritas hujus demonſtrationis ex *oppoſito* probari poteſt, dum *plena*, *ſaturata*, *pinguis*, lauta, nimis *alimentoſa* diæta ad *prædictos* affectus facile & frequenter diſponit: Ob ante dictas etiam rationes eadem Diæta, omnes viæ, ſive fuerint canales, ſive pori & qualescunque meatus *permeabiles* redduntur, unde progreſſus humorum in vaſis capillaribus & poris *anguſtis* admodum *adjuvatur*; quoniam humores *tenues*, *diluti*, quippe magis *fluidi* & mobiles, per vaſa & organa *lævigata*, lubrica, mollia & lenia facilius progredi poſſunt: quando vero e Diæta *denſiori* & *conſiſtentiori* membranæ magis *viſcoſæ* & *rigidæ* redduntur, tunc promptiori ingreſſui & tranſitui fluidorum ægrius obtemperant, teſtimonio illo magis luculento, quod hæc diæta *conſiſtens* & valde nutritiva & *alvi*

& *urinæ* excretionem tenaciorem & tardiorem reddat; hinc a majoribus i. e. amplioribus viis & canalibus, ad minores etiam consequentia valet. Quod itaque hoc modo *naturali* & *libero* ordine contingit, id *artificiali* methodo secure & efficaciter imitari solemus, quando ad *curandas* & resolvendas *stagnationes*, obstructiones & meatuum occlusiones Diætam talem *tenuem* aliaque adminicula liquida, & *diluentia* ordinamus, quibus meatus eluimus, aperimus & *pervios* denuo reddimus: ex hac observatione insuper illa *parallela* annotatio fluit, quod *veteres* medici *gravissimis* morbis aut præoccupandis, aut mitigandis, aut curandis *majorem* opem cum *diæteticis* mediis obtulerint, quam artificiosis pharmaceuticis, *qualia* adminicula utplurimum e *tenui* diæta selecta & ordinata fuerant: hinc in *illis* regionibus, ubi diæta magis *crassa*, dura, saturata, consistens, densum & *viscosum chylum* præbens, usitata est, sub qua *pisces*, aliaque esculenta animalia *marina*, carnes exsiccatæ, induratæ, muria conditæ, fumo arefactæ, pulpamenta spissa, e larga copia triti hordei, fagopyri s. fagotritici parata adhibentur, qualia in borealibus & maritimis provinciis usu recepta, in quibus propterea obstructiones viscerum & canalium, indeque pendentes morbi *chronici* magis familiares sunt: ob id CÆLIUS AURELIANUS *Lib. 3. tard. Passion.* testatur, *multos chronicorum morborum, a victu spisso & superabundanter nutriente ortum ducere:* inde oriuntur indurationes & infarctus pulmonum, hepatis, lienis, uteri &c. & varia morborum specimina ab hac causa dependentia. Hæc diæta, hucusque commendata & explicata, ulteriori salubri efficacia mole-

molestos sanguinis *orgasmos* præcavet, dum *temperatam* humorum consistentiam promovet, æqualem, liberum & *moderatum* motum humorum adjuvat, partes subtiles, volatiles sulphureo-salinas ad *intestinum* & *elasticum* motum fluidorum excitandum & *exacerbandum* idoneas, nec *accumulat*, nec diu *tolerat*, nec impellit & valde commovet, præterea *solidas* mobiles partes ad intensiorem motum haud *stimulat*, sed *moderatum* solidorum & fluidorum motum conservat, & dum *æqualem* humorum progressum per vasa & meatus adjuvat, ita alienos motuum gradus avertit; hæc enim diæta *spirituosas* materias *parcius* comprehendit, ideo nec *materialem* dispositionem ad tales præjudiciosos & perniciosos orgasmos suggerit: *tenuis* enim victus *excludit abundantiam generosarum*, aromaticarum, volatilium, agilium substantiarum, quæ sub humorum *progressu*, *caloris* naturalis concursu, *efficaciori* fibrarum motricium effectu, solertiori & *intensiori* membrorum motu, usu, labore & exercitatione certius, citius & facilius *intestinum* humorum motum auget, qui semel in motu constituti, dehinc in talem ebullitionem & spumescentiam transeunt, imprimis quando e diæta consistentiori & largius alimentosa partes oleosæ, pingues, sulphureæ & biliosæ in humorum massa augentur.

§. VIII.

Ita etiam *tenuis* & temperata illa Diæta largiorem *bilis* & volatilium *salium* genesin *præcavet*, quæ ex ingestis alimentis & potulentis *spirituosis*, vinosis, aromaticis, resinosis, acribus, *amaris*, *sulphureo-salinis* substantiis largius formantur, ut propter illarum materia-

rum copiam *abundantem* variæ *offensiones* fluidis & solidis partibus, ut & ipsis *motibus* accidant: vicissim autem *remotive* hæc diæta *parcius talia* principia suppeditat, *positive* vero *adjuvat*, ut reliqua talia principia, Massæ sanguineæ interspersa, facilius *separentur*, ideoque morbi biliosi, febres acutæ, congestorii, spasmodici &c. *præserventur:* ob id istiusmodi affectibus vexatis præservatorio scopo talem temperatam & *tenuem* diætam præscribere solemus: quamvis etiam interdum *sub eadem* Diæta *salia* esculenta & culinaria liberalius & *largius* ingerantur, ipsa tamen hæc diæta illa *temperat*, extenuat & discontinuat, ut noxam inferre nequeant, & huc quadret HIPPOCRATIS effatum in *lib. de veter. Medic. inest in homine & amarum & salsum & dulce & acidum & acerbum & fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque ac robur: atque hæc quidem mixta ac inter se temperata neque conspicua sunt, neque hominem lædunt: ubi vero horum quid secretum fuerit, atque ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem lædit.* Deinde hæc *tenuis* diæta non modo Salia talia *diluit*, & lubrica ac fluida gelatina *lenit*, involvit ac demulcet, sed etiam ad *faciliorem* excretionem disponit, quo minus diu in corpore detineantur, nec *copia* augeantur, nec qualitate sua *deteriorentur:* eadem efficacia *eo* etiam se extendit, ut humorum *præsentem inimicam* acrimoniam corrigat, indeque enascentes *morbificos* effectus *avertat*, leniat, extinguat: nam tenuis hæc diæta prædominantem illam *acrimoniam* distrahit, *diluit* & liquida mucagine *involvit*, quo minus partes *sensibiles* nervosas & membranosas *moleste* afficere

&

& ſtimulante irritatione vexare queat; deinde illa magis dulcem aut *temperatam* humorum miſcelam promovet, *parcius acria* ſalia corpori ſuppeditat, & hoc modo *edulcorantem* quaſi effectum largitur; culinare enim ac *domeſticum* experimentum eſt, quod *acre* & concentratum ſubjectum, affuſo diluente, *aquoſo* & temperato *gelatinoſo* vehiculo *corrigi* magisque gratum reddi queat: hinc illi qui *tenuem* Diætam uſurpant, *temperatos* magis humores continent, qui *omnibus* partibus corporis magis *congrui* ſunt, quam multis *ſalinis*, *ſulphureis* & bilioſis partibus permixti. Huic conſiderationi & demonſtrationi exacte convenit applicatio *practica*, qua ad *ſanguinis* & *lymphæ* acrimoniam corrigendam, ideoque humorum *temperiem* conciliandam, *talem* diætam, quippe *naturalem* & efficacem *medelam* ordinamus: ita in *ſcabioſa*, *ulceroſa*, *venerea*, *ſcorbutica*, *purpurata* infectione diætam *pinguem*, lautam, conſiſtentem, valde & alte ſapidam ſimilemque *improbamus*, temperatam autem, dilutam, aquoſam, *tenuem* & velut famelicam, eine magere Küche *commendamus* & admittimus; memores illius dicterii *corpus impurum*, *quo magis nutriveris*, *eo magis læſeris;* diæta enim *alterius* qualitatis perquam *alimentoſa*, luxurioſa & opipara non tam in *nutrimentum*, quam majus *inquinamentum* corporis cedit; ſicut tali *ſplendida* diæta fruentes, utplurimum valde *intemperato* ſanguine præditi ſunt; quicunque itaque a *tali* ſanguine *morboſas* offenſas patiuntur, illi priſtinam ſuam diætam, cum diæta pauperum aut *inferioris* ſortis & plebejæ conditionis hominum comparate commutare debent: inde etiam conſtat, cur *avari longævi* evadant, & diu ſani atque

atque incolumes vivant, ut ſuperius indicatum fuit; cur principes diætam aulicam evitantes, & vulgatam ac civicam Bürgerliche Koſt und Speiſe adhibentes, æque diu ſani perſiſtant, & vivaci integritate ad longævitatem pertingant: ob id etiam RAMAZZINI *tr. de Princip. Valet. tuenda cap. 4. victum parcum & ſimplicem* ad ſanitatem tuendam & promovendam ac longævitatem acquirendam laudat. *Huic leviori*, temperatiori & viliori diætæ facile ſeſe aſſociat *conſuetudo*, qua acquiſita facultate homines majori *euphoria* hanc diætam perferre poſſunt, quam *minus commode* altera opulentorum & *luxurioſorum* diæta ſeſe cum *adſuetudine* conjungere ſolet; ſiquidem hæc *poſterior* qualitas victus, etiam ſub *eadem conſuetudine*, varias *moleſtias* & incommoda concomitantes comprehendit: cum qua vivendi ratione non vulgatum illud dicterium congruit, der guten Tage könne man eher gewohnt werden, als der böſen: *tenuis* enim diæta non *adverſis* qualitatibus aut diebus tribulationis adſcribenda, nec cum cibo lacrymarum confundenda eſt, niſi alicui *pœna* dictitatur, ut pane & aqua ſuſtentetur a *mediocri* enim & *temperata* Diæta mutationem cum *lauta*, *pingui* & conſiſtente inſtituere, *minus* prodeſt, e *lauta* viciſſim diæta ad *temperatam* tranſire *magis* prodeſt & minus obeſt: conf. HIPP. *de veter. Medic.* GALENUS *de rat. vict. t. 21. 22. 24.* CASP. REJES *Camp. Elyſ. juc. qu. 93.* BARTHOLINUS de *Medic. Dan. dom. diſſ. 6. p. 251.* JOEPSERUS in *Manud. ad vitam long. Part. I. c. 7. p. 42. ſq.*

§. IX.

Singulis hiſce *utilitatibus* a *tenui* Diæta expectandis annumeramus adhuc, quod ſecundum *Rod. a* CASTRO

de

de Morb. Mul. Lib. I. c. 10. ſchol. p. 48. lin. 36. victus tenuis facile a natura non ſolum *ſuperetur*, *minimeque excrementoſus ſit*, ſed etiam *ſe* & *excretorias* functiones perquam ſublevet, quoniam non largas pingues, viſcoſas & oleoſas partes complectitur, ideoque *conſiſtentia* chyli alimentoſi *temperatior* exiſtit: & ſi in ſubjectis *duris*, *robuſtis*, *calidi* temperamenti, *flagrantis* appetitus, viribus *potentioribus*, validaque facultate *concoquente* inſtructis, cibi *duriores*, craſſiores & conſiſtentiores conducunt, nihilo tamen ſecius iſtiusmodi *vilior* diæta, reſpectu mediocris alimenti, ut ſuperius monuimus, tenuis eſſe ſolet: qui ſuccus alimentoſus ſufficiente vehiculo exceptus facilius organa *ſecretoria* intrat penetratque, ut inhærentes excrementitiæ partes facilius æque ſeparentur, *excretoria* vaſa & organa ſufficienter *lenian-tur*, humectentur & permeabilia reddantur, ut ipſa excretio *commodius* conſequatur: quibus phyſicis qualitatibus & adminiculis inſuper *crebra* ac *congrua* corporis *exercitatio* ſubvenit, quæ reliquas connexas operationes præparationis, depurationis, diſtributionis, reſolutionis, apertionis, nutritionis, abſterſionis aliasque efficaciter promovet; quicquid autem craſſiorum, terreſtrium, denſiorum & fœculentarum partium hujuscemodi diætæ inexiſtit, id non largiori pingui & nutritiva materia vinculatur & ſaturatur, ideoque facilius vaſa & organa ſe & excretoria penetrare poteſt, ſi præcipue ſufficienti humiditate *emollitum*, & in *lubricam* ac fluidam conſiſtentiam redactum eſt. Denique tenuis Diæta *viribus* conſervandis, *ſublevandis* & reficiendis multum confert: dum nec concoctionem, nec ſanguinem, nec

E alias

alias functiones vitales & naturales *aggravat:* ideo sanguis *mobilis* motum ejus valde *sublevat*, ut non tam *operosæ* & strenuæ *vires* impendendæ sint, sicut nec *superfluus* sanguis ab *eadem* Diæta metuendus est, qui *pondere* suo *graviori* & molestiori *vires* magis *languefacit* & debilitat: præterea *lenis*, *tenuis* & fluidus *sanguis* per omnes suos *meatus* & ductus *facilius* progreditur, viæ & canales insuper *permeabiles*, fibræ motrices *flexiles* & mobiles sunt, propterea que per rationes *physico-mechanico staticas* in fluidis & solidis partibus talis dispositio & habitudo adest, mediante qua vires valde levantur: inde vicissim constat, quod *saturatus*, valde *alimentosus*, *spissus*, consistens victus & potus *animum torpidum*, *membra lassa* & gravia reddat: singulare specimen occurrit in *messoribus*, qui sub *gravioribus* laboribus talem *valde nutritivam* diætam perferre *nequeunt*, sed *levem* ac *tenuem* seligere debent: simile quid observatur in *œconomicis*, quid densum, *pingue* & saturatum pabulum efficiat, quo *animalia* saginantur, id quod hæc persegnia, torpida & debilia reddit, sub quo *diu sana* esse & vivere *haud* possunt: *tenuis* vicissim diæta *levior* est, materias *mobiliores* suppeditat, ideoque *facilius* tractari & tolerari potest, unde viribus non molestum & grave onus accidit: sicut e contrario omnes humores *saturati*, densi, compacti & *consistentes*, quales a diæta *pingui* proveniunt, *ponderosiores* & graviores existunt: hinc homines *sanguine pinguiori*, aut magis *terrestri* præditi, facilius *delassantur* & enervantur, testimonio *plethoricorum*, *melancholicorum*, *hypochondriacorum*, victu pleno & opiparo fruentium, qui utplurimum torpida

pida

pida & pigra membra gerunt, eine gute Küche macht übermüthig und faul Fleisch, daß man den Brodkorb muß höher hängen: ita humores *consistentiores*, & fibræ *aridiores* & *rigidiores*, motus reddunt *operosiores*, id quod etiam experimenta *hydrostatica* probant, quando vasculum, patella aut mensura certa sanguine *pinguiori* & dein *dilutiori* impletur & ponderatur, notatu digna *differentia gravitatis* aut ponderis invenitur. *conf* SANCTORII *Medic. Stat. Sect. 5. ʃʃ. 4. 5. 21. 29. 47.* BARTHOLINUS *de nivis usu*, *c. 12. p. 82.* PITCARNIUS *in elementis Medicinæ physico-mathematicis, Lib. 1. c. 2.* JO. MANELPHUS *in Comm. in IV. Meteor. Aristot.* quod itaque *talis* Diæta corpus *non aggravet*, nec vires *infirmas* reddat, præter hactenus allegatas *rationes* suo *testimonio* confirmat BARTHOLINUS ita in *Medic. Dan. domest. diss. 8. p. 357.* indicans: *adeo Medicis olim Dania caruit, quia luxum ignoravit & gigantei roboris protulit incolas, quia simplici victu contenti cives corpora non gravabant, nec medicinæ necessitate premebantur*, aut ut MUSONIUS *ap. Stobæum Serm 18 p. 167.* ait: *qui communissimis cibis utuntur, robustissimi sunt. conf.* CLEM. ALEXANDR. *L. 2. Pædag. c. 1.* Et hæc præsenti tractatione & Specimine sufficiant *salubritatem Diætæ tenuis* significasse, commendasse, & variis *rationibus* atque *observationibus* probasse. Quod superest in humillima gratiarum actione consistit, quam DEO T. O. M. pro almo auxilio ad præsentem opellam debemus, quem simul imploramus, ut cœlesti sua benedictione omnes nostros labores comitetur ac protegat, efficiatque ut iisdem exoptatus & salutaris eveniat successus atque

FINIS.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE

DN. CANDIDATO

Ευεργίαν APPRECATUR

PRÆSES.

E diversis necessitatibus, quæ in ergastulis contingunt, Belgicus Scriptor BAUDARTUS *in Histor. rer. belg. Lib. 5. fol. 40. sq.* demonstrare vult, quod *Sanctus Raspinus, Sanctus Labor, St. Fames, Inedia & Pæna majora & præstantiora edant miracula in curatione hominum, perniciosa lue Pigritiæ, Luxuriæ, dissipationis, pervicaciæ &c. laborantium.* Ast hæc salubria media haud ad sensum & palatum humanum grata sunt & accepta, sed magna eorum pars fugit labores, & præoptat otia, aversatur famem & quærit saturitatem ac in varietate delectationem amat. Simplex victus non paucis vilis & abjectus est, ac a mensa non satur discedere, pro egenis, quibus curta suppellex est, relinquunt, hinc CAMERARIUS *in Syll. Memorab. Cent. XII. part. 47.* in fin. inquit: *non satis est pisces, carnes, frixas, elixatas,*

assatas

assatas & aceto maceratas, fumoque induratas aggregasse & apposuisse varia farcimina; pistoris opera insuper accedat necesse est, & aliquot placentæ aggregandæ &c. ob id hic author eod. loc. victum simplicem ad longævitatem commendat, qui plurimorum medicorum suffragio gaudet. *conf.* PAULLINI *in obs. p. 109.* accedit LUTHERI assensus *in Comment. in Gen XI, 10.* De antiquis Romanis constat, quod valde sobrietati operam dederint, de quibus PLUTARCHUS *Lib. 8. Sympos.* testatur, quod meridie parum ederint, vesperi autem cum amicis cœnaverint, unde cœna a κοινωνία communione derivata traditur. In quanta æstimatione igitur temperantia, & Diæta simplex ad durabilem vitam & sanitatem fuit, in eodem pretio atque æstimio Diæta tenuis esse potest: ita enim antiquissimi medici in certis morbis non solum tenues, sed & tenuissimos, imo plane extreme tenuissimos cibos commendaverant, *vid.* HIPP. *L. 1. aph. 7.* Ast hæc lenis, temperata & tenuis diæta non tantum in morbis, sed etiam ad sanitatem & longævitatem acquirendam utilis est: id ipsum peculiari explicatione confirmare *Tibi, Clarissime Dn. Canditate,* placuit. Selegisti hoc argumentum e doctrina, quæ Sanitati tuendæ prospicit, ut præsenti Inaugurali documento illud commendes. Effluxere nunc aliquot anni, quibus in nostra Musarum Palæstra variis elegantioribus studiis, præcipue in Medico foro & choro eximia, indefessa & constanti industria ac egregia applicatione operam dedisti, ut merito singulorum Hodegetarum, qui bonis dogmatibus animum Tuum, eleganti discendi ardore flagrantem, satiarunt, merita ac honesta approbatione gaudere, imo quod magis est multis exempli loco calcar æquali dex-

teritate tranſigendi curriculum academicum addere poſſis: ornaſti præterea laudabilem hunc tramitem academicum egregia honeſtate, probitate, modeſtia ac tranquilla animi qualitate, quibus facile coævos Tuos conterraneos, qui apud nos vitam degerunt, ſuperare queas. Quoniam igitur nunc divina dirigente bonitate vitæ academicæ valedicere & privilegia doctoralia, tanquam meritum & honeſtum viaticum acquirere cogitas, ideo in conſuetis ſolemnibus Examinibus ordini noſtro egregios Tuos profectus prodidiſti, ut hiſce honoribus dignum Te omnino declarare queamus. Gratulor igitur de felici academicæ vitæ fine, ut & de honoribus promeritis: proinde ſincero voto opto, ut cœleſtis clementia induſtriam Tuam ac modeſtiam omnibus ſalutaribus ſucceſſibus & firmis animi ac corporis viribus & felicitatis accrementis coronare velit. Vale. Dab.

Halæ Calendis Octobr. A. R. S.

CIↃ IↃCC XLIV.



VIRO

VIRO

IVVENI PRAENOBILI ET EGREGIE DOCTO

DOMINO CANDIDATO

LEONH. GOTTLIEB LEVTHOLF

MVLTAM PRECATVR FELICITATEM

I. IVNCKER.

SAepius ipſe ego, CANDIDATE praenobiliſſime, non tamen ſine dolente animi ſenſu, mirari ſoleo, quod homines poſt lapſum ex peccato tam laborioſe tamque audacter inſcii & quaſi occaecati in ſuae ſanitatis perniciem ruant. Omnes dum bene viuere per OTIVM & LVXVM intendunt, aegrotare incipiunt, & plurimi non edunt, vt viuant, ſed viuunt, vt edere poſſint. Quam vero hoc ſanitati officiat, iam ab antiquorum ſaeculorum eruditis ſcriptum accepimus. Taceo CICERONIS, atque venerabilis SENECAE de *victu tenui* elogia: illud modo attingam, quod ingenioſe cecinit antiquus ille Poëta, nempe: *viuitur paruo bene, cui paternum ſplendet in menſa tenui ſalinum.* Praeſentis autem ſaeculi artis medicæ antiſtites adhuc intimiorem huius veritatis cognitionem & ſcriptis & ore prodiderunt: atque ad eum cenſum *Tua* quoque referenda

eſt,

eſt, CANDIDATE doctiſſime, diſſertatio. Iucunda materia, iucunde aeque ac docte conſignata, & ad vitae communis vtilitatem conſcripta; vtinam homines ad eam normam ratione victus inſtituerent vitam: ſic enim multo feliciorem illos eam agere poſſe, contendere auſim. Quamuis autem ſurdis plerumque narratur fabula: Medicorum tamen eſt, optimam ſanitatis tuendæ viam quauis occaſione aperire & commendare. Caeterum, CANDIDATE digniſſime, vti & animi Tui candor & ſtudiorum Tuorum felix augmentum haud mediocri mihi ſemper fuit oblectamento: ita nunc gratulor diligentiae Tuae præmium atque honorem. Macte igitur progredere in eo, quem ingreſſus es, virtutis tramite; atque ita felices in arte medica tandem colliges fructus. Sic vade bonis auibus & vale. Dabam Halae d. XXXI. Sept. CIↃ IↃCC XXXXIV.

